

tibus pro tribunali sedentes in his scriptis diffinitive decernimus, pronunciamus et declaramus, dictos reos ex parte arearum et domorum praemissarum teneri et fore obligatos nomine census annui in tribus lothonibus monetae praedictae ad lumen perpetuum memoratum, ipsosque ad solutionem census praedicti ex nunc et in antea nec non etiam census neglecti ac insufficienter soluti praesentibus finaliter condemnamus, ac quoslibet successores ipsorum in domibus et areis praelibatis esse compellendos ad solutionem census annui memorati. Lecta, lata et in scriptis pronunciata est haec sententia diffinitiva in consistorio publico, ubi iura reddi consueverunt, sub anno domini M°.CCC°.LXVI°. feria quarta proxima post dominicam, qua cantatur Exurge, quae fuit undecima dies mensis Februarii, hora terciarum, praesentibus discretis viris dominis Johanne de Grubir, Michaele de Gobyn, Theodorico de Mersburg, Nicolao de Kossenblat, Conrado Knüt, perpetuis vicariis ecclesiae Misnensis testibus ad praemissa, in cuius pronuntiationis et facti testimonium et plenioram notitiam sigillum officialatus nostri praedicti praesentibus est appensum.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel an einem Pergamentstreifen.

No. 561. 1366. 24. Mai.

B. Johann eignet mit Zustimmung des Capitels diesem Jahreszinsen zu Coswig zu Begehung des Jahresgedächtnisses des Vicars und bischöfl. Capellans Syfrid.

In nomine domini amen. Johannes dei gratia episcopus ecclesiae Misnensis etc. Quia non bene testatur, qui deum suorum non facit bonorum participem et heredem, hinc est quod discretus vir dominus Syfridus cappellanus noster specialis dilectus, vicarius ecclesiae Misnensis, salutis suae non immemor, volens seminare temporalia, ut metat in futuro aeterna, comparavit iusto venditionis et emptionis interveniente titulo apud providum virum Nycolaum dictum Gast et suos heredes quatuor mansos sitos in pago villae Kossewik^{a)} pro X sexagenis, quolibet manso dante et solvente in festo beati Martini annis singulis modium tritici, duos modios siliginis et unum modium avenae mensurae Dresdensis et VIII hallenses nomine census seu annuae pensionis per censuarios infra scriptos et eorum in eisdem bonis successores solvendos, qui sic pro praesenti nuncupantur dictorum quatuor mansorum hereditarii possessores: Nycolaus Winkeler solvit et dat de uno quartali mansi medium modium siliginis, unum quartale tritici et unum quartale avenae cum duobus hallensibus, Nycolaus Windische dat et solvit de uno manso modium tritici, duos modios siliginis et unum modium avenae et octo hallenses, Kela Jacobynne de uno quartali dimidium modium siliginis, quartale tritici et quartale avenae cum duobus hallensibus, Henschil Hermanni de dimidio manso modium siliginis, dimidium modium tritici et dimidium modium avenae cum quatuor hallensibus, Petrus apud fontem dat et solvit de dimidio manso modium siliginis, dimidium modium tritici, dimidium modium avenae et quatuor hallenses, Henschil gener Jacobi de dimidio manso dat modium siliginis, dimi-

a) Coswig, Eph. Dresden.